



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117816

§. 13. Tractatus Cassiani de Incarnatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](#)

Sæculum V. *ficat, quantum se ingens scandalum affligat, & maxime dolet, quod Dorotheus*
A. C. 430. *Anathema pronuntiaverit in illos, qui Virginem, Matrem Dei, dicerent, pluresque palam JESU Christi Divinitatem negarent. Acacius in sua responsione S. Cyrillum hortatur, ut pacem proceret. Venerunt enim ad nos, inquit: multi ex Civitate Constantinopolitana, tam Clerici, quam Laici, qui propositiōnem illam pronuntiatam defendere videntur, & affirmant, eam in substantia nihil, quod Symbolo Apostolorum, aut Niceno contrarium sit, continere. Et postea: Epistolam tuam S. Episcopo, Joanni Antiocheno, legendam tradidi, quem valde commovit, nam quamvis ante breve tempus ad Episcopatum assumptus sit, idem ei, ac nobis sensibus sensus est, eaque vita integritate fulget, ut ab omnibus Orientis Episcopis maximi aestimetur. Monco etiam, ut rem tantam ea mansuetudine, & prudentia, quæ tuæ dignitati par sit, pertractes.*

§. XIII.

Traetatus Cassiani de Incarnatione.

epist. ad Nest. Interim S. Cœlestinus Papa, acceptis
I. p. Conc. Nestorii sermonibus, & deinde Episto-
Ephes. c. 18. la ejus, aliisque scriptis, quæ per Antiochum miserat, antiquam responderet, omnia in latinum transferri voluit. Traetatum

Etatum etiam componi ad defendendam Sæculum V.
 Doctrinam Catholicam contra hanc no- A. C. 430.
 vam Hæresin jussit; & sine dubio ipsius
 mandato factum, ut S. Leo tunc tempo-
 ris Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus id
 laboris commiserit Joanni Cassiano, quod
 ad hanc operam præstandam cœteris a-
 ptior esset, quippe linguam Græcam cal-
 lebat, & diu Constantinopoli fuerat ver-
 satus. Cum Collationes suas ab aliquo
 jam tempore absolvisset, imposterum si-
 lere sibi proposuerat; sed S. Leonis pre-
 cibus resistere non valuit. Ergo Tra-
 Etatum de Incarnatione concinnavit, in
 septem Libros divisum. In Libro I. ple-
 rasque Hæreses, huic Mysterio adversas,
 enarrat. Tum sermone ad Pelagianos
 digreditur, quorum Principia erroribus
 Nestorii viam stravisse putat; *Cum enim*
crederent, inquit: hominem viribus pro-
priis absque peccato esse posse, idem de JEs-
u Christo sentiunt, eum nempe fuisse pu-
rum hominem, & libero Arbitrio tam be-
ne usum, ut omnia peccata evitaverit;
& ideo solum in Mundum venisse, ut nobis
bonorum operum exemplum daret; post
Baptismum suum factum fuisse Christum,
& post resurrectionem Deum. Verum- *Serm. 3. n. 6.*
 tamen hæc non erat Nestorii Doctrina,
 nam expresse dicebat, Verbum divinum
 jam in Sinu Mariæ homini unitum fui-
 se; id ex adducto exemplo S. Elisabethæ

6. g.

C 4

manie

Sæculum V. manifeste colligitur, in modo solum, quo
A. C. 430. Deus, & homo uniebantur, errabat. Ca-
Serm. 4. n. 3. sianus quidem, quem hic refert errorem,
4. Serm. 5. adscribit Leporio, cuius historiam, & Re-
n. 5. tractationem summatim recenset. In Li-
*Sup XXIV*bro II. & III. probat, JESUM Christum esse
§. 48. Deum, & Hominem, atque Virginem,
 Matrem Dei, *Theotocos*, non solum *Chris-*
totocos vocari debere. In quarto ex S.
 Scriptura unitatem JESU Christi demon-
 strat, in quinto probare prosequitur, hanc
 unitatem esse realem, non moralem, &
 multa Nestorii asserta refutat. In sexto
 se fundat in Symbolo Antiocheno, secun-
 dum quod Nestorius fuerat baptizatus.
 In ultimo Auctoritatem Patrum Græco-
 rum, Latinorumque, præsertim Sancti
 Joannis Chrysostomi, Magistri sui, addu-
 cit. Atque Epilogus pathetica exhorta-
 tio est ad Ecclesiam Constantinopolita-
 nam. In toto opere de Nestorio ut Con-
 stantinopolitanæ Sedis Episcopo loquitur;
 hinc patet, hos libros ante ejusdem de-
 positionem, & celebrationem Concilii
 Ephesini conscriptos.

§. XIV.

*Epistola S. Cœlestini Papæ contra
Nestorium.*

p. 1. Conc. Nestorius, cum nullam a Papa respon-
Eph. c. 17. sionem accepisset, secundam ad eum
Mem. Garn. epistolam manus Valerii, qui Impera-
p. 69. tori